



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XV. Insignis Didaci Lainij dissertatio de institutione Episcoporum, & noua Suauis mendacia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

1562. lege finali *De iurisdictione Iud.* & ex capite *Coram*, & ex capite ultimo, *De officio leg.* Cùm itaque huius iurisdictionis exercitatio locum simul ac dignitatem postulet, sicuti obseruant Canonum Doctores in cap. 1. *De Ordin. ab Episcopo post renunt.* & ex doctrina Hostiensis in summa super eo, & sequenti titulo, locum designari Episcopis à Romano Pontifice, ac proinde hanc iurisdictionem in eos à Pontifice descendere. Id adhuc firmari, quoniam Episcopus electus, & nondum consecratus, huiusmodi iurisdictionis usum obtinet, ex cap. *Transmissa, de elect.* Igitur à Pontifice ipsi prouenire, vt qui nondum suscepit Ordinem, sine quo nihil habet à Christo sibi proximè collatum. Dein ostendit, hanc locorum diuisionem, Ecclesiæ Capiti commissam, optimè institutam fuisse ad confusionem euitandam, vt complures ex Canonum peritis, ex Commentariis ab illo productis adnotabant. Igitur Ordinis potestatem esse à Christo, iurisdictionis verò à Romano Pontifice, si hoc de contentiosa, non de voluntaria intelligatur; ac de eo communiter conuenire Canonum interpretes.

Complures alij de priori illo articulo nihil locuti, solum nauarunt operam ad expendendum id quod positum fuerat, non item ad exquirendum id quod prætermisum in Decretis & Canonibus propositis. Patres centum & octoginta vnus sententiam dixerunt, ex illis quinquaginta tres præter Granatensem additamentum petiere, alij pauci ambiguè disseruere. Duplici lapsu hîc deerrat Suauis: altero, affirmans pro ea parte quinquaginta nouem opinatos, quinque è suorum phantasmatum globo attributis illi factioni, quâcum inire fœdus voluit, quod ipsam Romano Pontifici aduersantem putarat: altero, maiorem fortasse eorum numerum futurum fuisse, nisi pituitæ defluuio multi præpediti abfuisent. Et tamen cùm de Decretis & Canonibus propositis centum & octoginta vnus ex Patribus sermonem habuisent, par fuit, vt paucissimi ex morbo domi detinerentur. Sed Suauiana in Pontificem bilis effecit, vt ex pituita obstacula in multis Patribus somniaret.

† Litteræ ad-  
ductæ Vice-  
comitis, &  
Acta Arcis  
Æliæ.

## C A P V T X V.

*Insignis Didaci Lainij dissertatio de institutione Episcoporum,  
& noua Suauis mendacia.*

**P**ostremus ex disputantibus, sed extra ordinem, pro iam commemorato ritu ipsi à Legatis præscripto, fuit Didacus Lainius, summus Moderator Societatis Iesu, qui 20. Octobris verba fecit<sup>2</sup>, & integrum conuentus habiti tempus solus expleuit. Hæc

† Diarium,  
20. Octobris  
1562.

Hæc Lainij disputatio laudem excitauit parem cuiusque alij in eo Concilio vniquam auditæ. Vel ipse Suauis eam eiusmodi fuisse narrat, nec audeat ipsi derogare & aliquam ex sua sententia laudem, & summam ex opinione illorum Præfulum, quos ille Pontificios nuncupat: quorum sanè frequentia ac doctrina neque consuetam, neque facilem ipsorum concordem commendationem reddebat. Mihi, tamen studiosissimè id perquirenti, numquam licuerat legere siue hunc siue alium Lainij commentarium, præter eum quem supra memorauimus in Iustificationis argumento, in legitima Actarelatum. Eius tamen perinde ac aliorum sententiæ extant leuiter indicatæ, hinc & in opere Paleotti. Ceterum Lainij characteres arcana potius notæ videntur ipsi dumtaxat cognitæ, quàm communes, & aliorum intelligentiæ accommodatæ: quod Societati facultatem ademit, vt ex innumeris illius doctis lucubrationibus, quæ in armariis supersunt, ne vnâ quidem paginam siue ad suam siue ad publicam vtilitatem ediderit. Adeo inconciliata res est negligentia artium, quamuis maximè mechanicarum, vbi hæc necessaria præbent instrumenta ad conseruandos partus earum artium, quæ mentem excolunt. Iam verò cum animaduernerem, à dissertatione, de qua loquimur, in effigie à Suauio exposita, indicari quidem egregiam aliquam lineamentorum formam; mihi persuasi, expictam ab eo fuisse ab auctographo, tamen cum aliqua peruersione ex penicilli nequitia. Verum cum postea, quasi ex accidenti, in volumine Vaticani Archiuij<sup>b</sup> illam reperissem, stupore perfulsus, cognoui eam omnino aliam esse ab imagine supposita. Quare cum inducere in animum nequeam, illum in re bona sponte fuisse mentitum, certior in dies reddor, in rerum notitia conqui-  
renda sæpè ab ipso sæcem exhaustam. Libet hinc Lainij sermonem afferre, quò lectorum curiositas, illo collato cum Suauiano, ipsius descriptione de scriptoris veracitate suum apud animum statuât. Atque vt fidelis sim, illum refero eâ quâ reperio scriptum formâ, non quâ dictum existimo; quamquam eius auctor, temporis avarus, scripto restrinxerit quod dicto largius fuderat. Huiusmodi fuit eius sententia.

*b* In volumi-  
ne Actorum  
illius tempo-  
ris, & in ex-  
teriori nota,  
præter no-  
men auctoris  
exprimitur  
fuisse missam  
à Vicecomi-  
te ad Borro-  
mazum,  
9 Nouem-  
bris 1562.

2 Quatuor à se suscipi: Quæstionis explicationem; Suæ sententiæ expositionem; Confutationem argumentorum quæ ab asseclis contrariæ obiectabantur; Suæ comprobationem. Præmisit, complures ab eo opere se dehortatos, ne in vituperationem assentatoris Pontificij caderet; non tamen idcirco censere se ab obligatione defendendæ veritatis solutum. Deum sibi testem adesse, iudicem viuorum

1562. rum ac mortuorum, se secundum conscientiam loqui; numquam assentandi gratiã verbum à se prolatum. Ter illi Synodo interfuisse, sub Paulo, sub Iulio, & sub Pio: semper vsus sinceritate loquendi, & nihilo minus eadem vsurum in posterum; nullam sibi causam suppetere aliter agendi, vtpote nihil aut quærenti, aut speranti, aut metuenti.

Posteà quæstionem ingressus, dixit ad eam exponendam: Illud esse ex iure Diuino, quod Deus per se ipse proximè efficit: è conuerso non dici ex iure Diuino, quod idem per interpositas personas peragit. Ita omnem legem à Deo procedere ex Sapientiæ effaro: *Per me Reges regnant, & potentes iusta decernunt*: non tamen omnem legem Iuris Diuini appellari. Quin etiam non modò legem omnem, sed omnem veritatem, vt Ambrosius scribit, à Spiritu Sancto prouenire; nec tamen omnem veritatem esse Iuris Diuini. Obseruauit prætereà, nec requiri, nec satis esse, vt mandatum quodpiam sit ex Iure Diuino, quòd in sacris Litteris illud contineatur. Id non requiri, satis liquere in materiis, formisquæ Sacramentorum, non cunctis in sacra Scriptura expressis, & tamen cunctis de Iure Diuino. Idem non satis esse, deprehendi in decreto, ne sanguis aut animal suffocatum comedatur, quæ prohibitio extat in Actis Apostolorum, cap. 15. nec tamen ea est de Iure Diuino; aliter etiam in præsentia vim haberet. Et quamuis ibi narretur dictum ab Apostolis, *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*; non tamen significari, eam S. Spiritus legem fuisse, sed S. Spiritus afflatu constitutam. Similiter non quia Paulus iubeat Episcopum vnus vxoris virum fuisse, & mulieres velare capita, huiusmodi mandata esse Diuina. Ad hæc aduertit, quemadmodum multa opera Deo tribuuntur à sacris Litteris, & à Patribus, quia ipse in ea influit, tametsi per causas secundas id agat, exempli gratiã à Psalte, quòd iumentis det escam, & ab Apostolo, quòd in corpore ponat membra; ita pariter Deo tribui iussiones aliquas, quæ proximè ab ipso non sunt, adeoque nec de Iure Diuino. Hoc pacto ieiunium à Basilio nominari præceptum Diuinum, quia Deus corporis afflictationem generatim præcipit, & hominibus impertit iurisdictionem ad illius rationem decernendam, præscripto ieiunio. Ita dici ab Apostolo: *Nemo assumat sibi honorem, sed qui vocatus est à Deo tanquam Aaron*: quamquam Deus non per se, sed per homines eligit. Ex opposito quædam appellari res vnus aut alterius hominis, tametsi à Deo institutæ, quia tales homines ipsarum ministri fuerunt, sicuti dicitur Baptismus Ioannis, & etiam lex Moyfis, si cæremonialis intelligatur per

per Moysem data; cū moralis dicatur lex Dei, quia non per alium, sed per ipsum processit, quamquam vtriusque auctor Deus esset.

4 Porro hanc regulam posse constitui, nixam obseruatione, congruentiā, & etiam similitudine operum naturalium; eas iussiones quas Deus voluit immutabiles, à se habitas fuisse, mutabiles verò per alium; atque idcirco contineri in Euangelio leges immutabiles, quia ab ipso Christo sunt promulgatæ.

5 Hoc posito, duas esse inter homines potestates: alteram, Civilem, quæ bonum statum moralem intendit, ac de ea hinc differere, ad rem non esse: alteram, Ecclesiasticam, cuius est animorum sanctitatem curare: hanc rursus duplicem esse, vnam quæ id perficit virtute Sacramentorum absque alio adiumento; & alteram, quæ per anathemata, aliasque Constitutiones id præstat. Priorem esse Ordinis potestatem, quæ per consecrationem imprimitur, atque instituta per se est ad sanctitudinem aliis rebus impertiendam, quantum id animarum sanctitati opus est: posteriorem esse iurisdictionis potestatem, atque hanc non infundi per consecrationem, sed per simplicem collationem, adeoque communicari posse cuius Clerico minori, & etiam homini laico. Vtramque potestatem, quippe ad cælum tendentem, à cælo prouenire, sicuti necesse est vt aqua ex tam alto descendat, quàm altum ascendit. Sed inter se discrepare variis proprietatibus. Potestatem Ordinis infundi non hominis arbitratu, sed definitis pactisque à Deo modis, quò ita patefieret, eam esse Diuinam; & idcirco à malo dæmone, Diuinitatis æmulo, magicas cantiones fuisse institutas, cupiente se coli tamquam Deum, quem videt sua, vt ita loquar, habentem incantamenta in efficacia verborum ac rituum, quibus Sacramenta peraguntur. In potestate iurisdictionis nullum esse ritum à Deo decretum, eaque propter illam communicari pro arbitratu humani Superioris. Præterea, homini per priorem non nisi nudum ministerium concedi, nec ab ipso effectum attingi, qui produciatur à Deo: in altera exerceri ab homine auctoritatem & imperium, & effici proximè potestatem denuò productam: prioris, quippe immobilis, effecta à nulla humana potentia obturbari posse, tamen vsus licitus vetari queat: alterius, quæ mutabilis est, effecta posse ab alio homine pro suo arbitratu impediri.

6 Explicatis vocabulis, normæque vniuersali statutâ, accessit ad alteram partem, hoc est, ad suam ferendam sententiam. Affirmavit, Ordinis Episcoporum potestatem esse à Deo proximè in sin-

Pars III.

D d

gulis

1562. gulis hominibus, Iurisdictionis potestatem esse à Deo proximè in genere, nimirum in quibusdam, vt in Petro ac successoribus; atque, sicut ipse arbitratur, in cunctis Apostolis ex peculiari priuilegio: in reliquis, veluti in Episcopis peculiaribus, eam manare per interpositam à Deo personam, proximè à Romano Pontifice. Hanc rationem conformari normæ & congruentiæ à se expositæ in primo articulo. Etenim in Romano Pontifice dum is in Pontificatu perseuerat, iurisdictionem esse inuariabilem, quemadmodum etiam in Apostolis; in Episcopis variari posse, & mutari à Pontifice, quamuis non ex mera voluntate, sed ex causâ.

Ad tertium rei propositæ caput progressus, argumenta contraria confutauit, ad quod sibi nauiter viam strauerat in primo capite. Obiectare nonnullos, Christi verba, *Pasce oues meas*, à SS. Basilio & Ambrosio intelligi non ad solum Petrum dicta, sed ad omnes Apostolos, & in ipsis ad omnes Episcopos, eaque propter ipsis fuisse proximè impertitam à Christo iurisdictionem significatam in potestate pascendi. Ad hæc responderi, ea verba dicta quidem fuisse cunctis Apostolis, non tamen in omnibus, sed in solo Petro; à quo, cum gregem integrum pascere per seipsum non posset, admo- uendi erant illi operi reliqui Apostoli: si secus exponerentur, hæresim ex illis deduci. Cum enim ex vi huiusmodi verborum tradita fuisset iurdictio in eos qui pascendi erant; cumque ea verba essent vniuersalia, adeoque complecterentur singulas Christi oues, quarum vna erat Petrus, si intelligerentur proximè dicta ac directa cunctis Apostolis, confectum iri, iisdem fuisse commissum, vt Petrum etiam pascerent, eundemque proinde ipsorum subditum ex- titisse.

Simile quiddam ab alijs opponi ex alijs verbis: *Quodcumque liga- ueritis, &c. Cuiuscumque remiseritis peccata, &c.* quæ sanè ad cunctos Apostolos ac successores directa sunt. Sed hoc nihil officere, quoniam per ipsa tradita fuit Ordinis potestas ad absoluendum in Sa- cramento, non facultas iurisdictionis exterioris; ac propterea dici à S. Thoma, Clauis, earumque potestatem, quæ iurisdictionis po- testas est, traditas fuisse Petro, ita vt ab eo in reliquos deuenirent. Hanc interpretationem firmavit; animaduertens, cum Christus protulit recitata verba, *Quodcumque ligaueritis, quodcumque remiseritis*, nondum Petrum Ecclesiæ Caput fuisse constitutum, cum ad- huc dictum ipsi non fuisset, *Pasce oues meas*: non esse igitur verisimile, voluisse Christum formare Ecclesiam quamdam & hierar- chiam, cum iurisdictione compluribus præcipuis ipsius membris tributa,

tributa, antequam ipsi Caput destinaret. Præterquam quod etiam si admittatur, memoratis verbis iurisdictionem importari, alterum non deesse responsum, videlicet, ab illis non in præsentia eam tradi, sed promitti tamquam futuram, & à futuro Capite membris communicandam; perinde ac si diceret alicui Deus, *Tu eris Rex*; hinc non conficeretur, illum à Deo proximè Regem constitui, sed prænuntiari, regnum ex hominum electione illi conferendum.

9 Tertio loco sic argumentari aduersarios: Apostoli acceperunt iurisdictionem à Christo, non per alium quempiam communicatam; igitur eam quoque acceperunt Episcopi illorum successores. Consecutionem esse nullam; sicuti neque vim habet hæc alia similis: Adamus accepit à Deo corpus, & non per alium quempiam; igitur & homines pariter Adami successores: & esse Iurisprudentium regulam, *Non requiri in subrogato naturam illius cui subrogatur, nisi secundum id quod satis est.* Episcopos non esse in omnibus Apostolorum successores. Huiusce rei exemplum haberi in eodem argumento, quando, tametsi Episcopi Antiocheni Petro successerint, & Ephesi Ioanni; nemo tamen agnoscebat in ipsis eam iurisdictionis amplitudinem, quæ fuerat in Petro & in Ioanne. Solùm igitur Episcopos successisse Apostolis in potestate consecrandi: at verò Romanum Pontificem successisse sancto Petro in integra potestate, quam ille distribuit minoribus Præsulibus; solus enim Romanus Pontifex est Generalis Dei Vicarius, adeoque solus ipse à Deo proximè iurisdictionem accipit, reliqui ab ipso. Eo pacto in amplis regnis, cum Prorex integram supremamque potestatem à Rege obtinet, ab eodem postea peculiare magistratus constitui.

10 Quarto loco adduci multa sacræ Scripturæ testimonia, vbi Deo tribuitur Episcoporum institutio, cuiusmodi est Apostoli dictum ad Ephesios: *Posuit Deus in Ecclesia Pastores.* &, quod dicitur in Actis Apostolorum: *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei:* parabola serui fidelis ac prudentis, *quem constituit Dominus super familiam suam:* quod iurisdictionem significat: hanc verò parabolam intelligi de Episcopis, quando in ipsorum consecratione vsurpantur hæc verba: *Sit ille seruus fidelis & prudens, quem tu Domine constitues super familiam tuam.* Dixit, nullo ex his testimoniis, quod intende- batur, probari, idque ex iis quæ ipse initio obseruarat. Idcirco ad primum soluendum differuit: Pastores, perinde ac cuncta reliqua bona, fuisse à Deo constitutos, nimirum aut per ipsum, aut per alios, eâ ratione quâ similiter affirmatur, Principes ac Magistratus laicos ab eodem esse constitutos, tametsi non omnes ab ipso proximè.

Historiæ  
Concilii Tridentini  
Part III.

1562. Ad alterum testimonium progressus, petiit, Quomam pacto Spiritus Sanctus Episcopos posuerat, num fortè eos ipse tulerat, & suà quasi manu collocarat in Episcopatus sede? Minimè verò; sed per electionem habitam à populo, & per consecrationem ab Episcopis peractam. Igitur ibi sermonem non esse de collocazione quadam, proximè à Deo posita. Ad postremum: Aut efficaciam argumenti trahi à nuda parabola, aut ab eius significatione: non certè à nuda parabola, quippe quæ non de Deo loquitur, sed de quodam patrefamilias; non ab eius significatione, quippe cui satis est, fuisse constitutum à Deo Episcopum supra familiam suam quocumque modo, seu proximè per se, seu remotè per alios.

Solutionem parum dissimilem adhibuit aliis Scripturæ effatis. Vnum ex his fuit, vbi Christus Episcopos nominat *Pastores*, dum ipsos significans dicit: *Bonus pastor vitam dat pro ouibus suis, & eas vocat nominatim, & eos educit ex ouili.* Igitur (opponebant) voluit ipsos esse Pastores, adeoque voluit in ipsis iurisdictionem inesse, cum in pascendo iurisdictione exerceatur. Responsum attulit: Certum esse, voluisse Deum vt in Episcopis inesset iurisdictione, sed non illis tradita proximè ab ipso Deo, quemadmodum etiam voluit alia, quorum causas proximas idem constituit. Alterum fuit, vbi Apostolus inter conditiones Episcopi ponit, vt ipse domum suam benè regat, ostendens huiusce rei necessitatem eà ratione: *Qui domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* vnde colligebant, regendi munus ex Apostoli sententia ab Episcopis seiungi non posse. Iam verò regere, & iurisdictionem exercere, idem esse. Igitur iurisdictionem, vtpote commissam Episcopis in sacris Litteris, esse de Iure Diuino. Postremam consecutionem negauit, si ea intelligatur esse de Iure Diuino secundum explicationem antea positam, secundum quam est de Iure Diuino illud dumtaxat, quod prouenit à Deo absque vlla inferiori causa intermedia. Voluisse Deum, vt Episcopi iurisdictionem haberent; exegisse in Episcopis, vt ad eam rectè exercendam essent idonei; sed noluisse illis per seipsum hoc impertiri, nec eos per seipsum ad regimen destinare: quemadmodum in Scriptura numerantur doctores serui boni, nec inde conficitur, seruum ab hero constituendum non esse, nec ministerio destinandum. Et quòd multa in pauca redigam, per eiusmodi solutionem à plurimis similibus sacròrum Voluminum testimoniis se facili negotio expediuit.

Nec minùs facillè explicauit hac ratione, adducta ex aduerso dicta SS. Patrum Ambrosij, Emiffeni, Basilij, Leonis Magni, affirmantium,

mantium, Episcopos, eorumque potestatem à Deo esse. Animadvertit, eos numquam vfos fuisse hac voce, *proximè*, aliavè idem sonante: sed è contrario multos Patrum apertè docere, Episcoporum iurisdictionem esse à Romano Pontifice. Quòd cum ita esset, velle se ratiocinari, perinde ac ratiocinatus est Bessarion Cardinalis adversus Græcos in Synodo Florentina, dicens: Sanctissimi sapientissimiqùe Patres Latini scribunt, Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, num ipsis affigemus anathema? minimè quidem. Neque pariter affigendum illud est Græcis Patribus, qui scribunt, Spiritum Sanctum esse à Patre, non factâ Filij mentione. Quare, si neutrum volumus, adhæreamus illi interpretationi, quæ sola cunctos in concordiam reuocans, eos tueri potest, atque affirmemus, mentem Græcorum non fuisse, Filium excludere, sed significare, Spiritum Sanctum à Patre procedere etiam per Filium. Similiter hîc res se habet: (dicebat Lainius) Patres aliqui pronuntiant iurisdictionem Episcoporum à Deo esse, alij, esse à Romano Pontifice: aut necesse est fateri, eos inter se repugnare, & ex ipsis complures decipi in articulo tanti ponderis in Ecclesiastica Hierarchia, qui sensus nec probabilis, nec pius est; aut oportet ad eos conciliandos, agnoscendamque veritatem, in eo quod vtrique docent, cunctos in hanc sententiam interpretari, Episcopos per Romanum Pontificem à Deo esse.

- 13) Negari non posse, affirmari à multis sacris Doctoribus, Episcoporum potestatem à summo Pontifice deriuari, idque in primis à compluribus præclaris Scholasticis, quibus, tametsi responderetur eos in multis rebus errasse, tamen id cuiusque hominum esse commune, adeoque per eam responsionem sublatum iri argumentum à quouis humanâ auctoritate deductum. Bos in paucis errasse, in multis verum assecutos, præsertim vbi eorum plurimi concordant. Ipsorum doctrinam, tamquam auctorum doctrinâ ac pietate præstantium, ab Academiis magni fieri, & admitti: neque quòd dictionis elegantia ipsis desit, sententiarum æstimationem minui. Porro ex iis tres in schola Principes adduxit, & singulorum verba subinde recitavit; S. Bonaventuram in libro, cui titulus est, *Breviloquus*, vbi ostendit, Romanum Pontificem potestatum omnium fontem, originem ac normam esse; Durandum super quarto Sententiarum distinct. 24. & S. Thomam ibidem, ac præterea in Secunda Secundæ art. 3. quæst. 39. His addidit nonnullos veterum Patrum, Leonem Magnum, adductum distinct. 19. vbi cum agatur de commissæ Apostolis munere à Iesu Christo, sic loquitur: *Sed*

1562. huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Baptismo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Eundem rursus, sermone tertio de sua ad Pontificatum assumptione, ubi de S. Petro ita dicit: Si quid cum eo commune voluit esse Principibus, numquam nisi per seipsum dedit, quidquid aliis non negavit. Et Magnum Gregorium in capite, Quanto, distinct. 63, quod sic incipit: Quanto Apostolica Sedes Deo auctore cunctis pralata constat Ecclesiis, tanto inter multiplices curas & illa nos valde sollicitat, ubi ad consecrandum Antistitem nostrum expectat arbitrium. Quod si quid obstabat huic Gregorij testimonio, quoniam ipse recusauerit Episcopum vniuersalem appellari, respondit; obiectum dilui ab Innocentio Tertio, ubi ostendit, quâ significatione Romanus Pontifex dici posset Episcopus vniuersalis, & quâ non posset; quemadmodum quidam ex illis Patribus monuerat, esse illum Romæ Episcopum, eique, utpote tali, potestatem inesse in suos suffraganeos: inesse quoque Primatum; atque hoc nomine antiquitus exercitam ab eo fuisse iurisdictionem in multis prouinciis, ad eumque delatas complures causas Italiæ, Africæ, & aliarum regionum: esse denique summum Pontificem, & ut summum Pontificem, esse vniuersalem, omnium superiorem. Quare dici ab Innocentio, summum Pontificem esse in sua Romana Ecclesia Episcopum, adeoque sinendum ab ipso, ut reliqui sint Episcopi in suis Ecclesiis: praterea esse vniuersalem, cum ipsi fas sit audire & cognoscere causas omnes, sed fas non esse auferre sine causa auctoritatem Episcopis iure concessam.

Peccare consecutionem, quam aliqui deducebant, Nisi Episcopi à Deo potestatem accipiant, non posse in Concilio definire; & quod definiunt, Fidei dogma non esse: nam sufficere, eam à Pontifice ipsis conferri, atque hinc fieri, legitimam non esse Synodum, nisi summus Pontifex illi consentiat, & Synodi definitiones esse definitiones Dei, quatenus ab Romano Pontifice sunt, cui Spiritus Sanctus assistit.

Adhuc contrà offerri: Episcopatum esse Sacramentum; igitur de Iure Diuino: sed iurisdictione spectat ad Episcopatum; igitur eam pariter esse de Iure Diuino. Primam enuntiationem complures inficiari, opinatos, Episcopatum non esse Ordinem Sacramentalem à Sacerdotio distinctum; sed à se veram putari: falsam tamen consecutionem inde confici, propterea quod omne Sacramentum potest in eo, qui ipsum suscipit, sine iurisdictione persistere. Opponi  
prisci

prisci temporis exemplum, cum Episcopi à Clero populoque eligebantur, & à Primatibus confirmabantur. Sed hinc potius oppositum probari; cum certum sit, Primates non constitui proximè à Deo, adeoque huiusmodi potestatem à summo Pontifice ipsis communicari.

Multis efficacix non modicæ hanc rationem videri: A veteribus fuit tamquam hæresis reiecta Ærij Ariani opinio, Episcopos Iure Diuino Presbyteris superiores non esse. Et Martinus V. in quadam Constitutione, in Oecumenico Concilio à se edita, damnat tamquam hæresim sententiam, negantem Episcoporum iurisdictionem iurisdictioni Presbyterorum superiorem esse; & tamen hæresis aliud non est, nisi opinio, quæ Iuri Diuino aduersetur. Ad hoc soluendum dixit, Hæresim Ærij in eo sitam, quod omnes Presbyteros æquales ex Iure Diuino affirmabat; adeoque summum Pontificem complectebatur, qui Iure Diuino cunctis superior est. Quod spectabat ad Constitutionem Martini, obseruauit, ab Ecclesia vt hæreticos damnari eos quoque, qui aliquid loquuntur aut faciunt contra Ius Ecclesiasticum, vbi per id ostenditur sententia contraria alicui veritati, quæ sit Iuris Diuini, & includatur in eo, quod est Iuris Ecclesiastici. Hac ratione tamquam hæreticos damnari sacrarum Imaginum contemptores, quia in eo contemptu Dei ac Sanctorum despectus continetur. Igitur tamquam hæresim reueli sententiam, negantem iurisdictionem in Episcopis superiorem comparatè ad Presbyteros; per id enim negatur auctoritas, quam Iure Diuino supremus Pontifex obtinet, qui Episcopis maiorem quàm Presbyteris iurisdictionem impertit.

15 Quæstionis explicatione, obiectorumque solutione sibi visus est magna ex parte corroborasse, simulque persuasisse sententiam, sicuti sæpè contingit: declaratio siquidem vim habet ad tribuendam speciem veritatis; solutio, ab indiciis falsitatis illam purgandam. Quare breuiter postremam partem, hoc est, eiusdem probationes est profecutus, SS. Patres à se productos affirmare, iurisdictionem omnem amitti posse ab Episcopis, & ipsis auferri posse; igitur eam non esse ex Iure Diuino: etenim quod est huiusmodi, ab humana voluntate ac potestate variari non potest.

16 Nec valere quorundam distinctionem: Esse quidem de Iure Diuino iurisdictionem Episcoporum, sed à summo Pontifice ipsis materiam destinari, & loca distribui, sicuti Iosue terras à Deo promissas ac donatas Hebræorum populo distribuit. Hinc deduci, A Romano Pontifice nihil ampliùs fieri, quàm fiebat ab Ethnicis magistratibus,

1562. stratibus, qui in vno loco Flamines, in alio Archiflamines, alibi Protostamines collocabant, nullam postea in ipsorum munera curam ingerentes. Quin arguit: Si ea iurisdictio esset ex Iure Diuino, potius materiam ac Dicecesim Iuris quoque Diuini futuras; quandoquidem iurisdictio quædam species est respectus; omnis autem respectus ab ea causa, à qua ipse fit, accipit pariter vt suos terminos signatè respiciat; terminos verò huiusce respectus esse, superiorem, & subditos. Igitur si Episcopi hanc definitam iurisditionem habent à Deo, necesse foret hos peculiare subditos habeant à Deo, & vt falsò dicantur Diceceses habere à Romano Pontifice, adeoque neque idem possit eas illis auferre, aut commutare. Argumentatus insuper est: Si iurisditionem accipiunt à Deo, aut eam loco terminatam, aut non terminatam accipi: ex altero absurdum nuper expensum collectum iri, videlicet, non licere Pontifici eam coarctare, sicuti nec dilatare: ex altero secururum, ipsam ad omnem regionem extendi, adeoque vnicum totius Ecclesiæ Principem non esse, sed tot Principes vniuersales, quot Episcopos.

Impugnauit postea allatam à quibusdam sententiam, concessum non fuisse Romano Pontifici, vt ab Episcopis iurisditionem auferret, quippe ipsis à Christo traditam, sed iurisditionis exercitium, quod à Christo non est. Quorsum (ait ille) genus quoddam iurisditionis prorsus impotentis, & quæ exerceri non posset? Christo dignum non esse eiusmodi donum, quod ex se nihil valeat. Et pleribus in pauca redactis, verba illa, *Pasce oues meas*, aut soli Petro, eiusque successoribus fuisse dicta; & hinc palàm fieri, plenam ipsi traditam iurisditionem in vniuersam Ecclesiam, adeoque hunc esse fontem vnicum, ex quo cuncti haurirent: aut dicta fuisse à Redemptore singulis Episcopis; & per id subtrahi quoque fundamentum affirmandi id quod etiam aduersarij tamquam necessarium fatebantur, vniuersam huiusce iurisditionis materiam à Christo subiectam fuisse Romano Pontifici, & ab eo distribuendam peculiaribus Episcopis: quamobrem hoc admissò nihil superesse, in quo firmiter innitatur Ecclesiæ vnitas & monarchia. Conclufit hanc loquendi sentiendique rationem: Quòd summus Pontifex solam materiam præbeat, esse nouam, nec Doctorum probationibus usurpatam, ac proinde vti periculosam esse vitandam.

Hoc est exemplar, quod Lainius in eo conuentu adumbravit calamo, & quod viuidius colorauit linguâ. Et quamuis exemplar, quod illi Suauis tribuit aliud omnino, satis pulchra contineat, dona  
tamen

tamen ab inimicis accipere, honestum non est, & ipsa pulchritudo 1562.  
ubi mendax est, fœditatem affert historiæ.

Sed donorum speciem haud præ se ferunt alia mendacia, quæ harum rerum narrationi Suavis intexit. Dicit, Animaduertisse Legatos post duos priores generales conuentus, per eam definitionem longè grauius detrimentum illatum iri Apostolicæ Sedi, Aulæque Romanæ, quàm ipsi putauerant, adeoque se tamquam malè cautos in reprehensionem incurfuros; hinc verò studuisse, vt Patres inde remouerentur: curauisse præterea, vt per Sotum proponeretur Hispanis Canon, quo Episcopi declararentur instituti à Christo secundum Ordinem, nullâ mentione illic habitâ de iurisdictione, quam hoc pacto intendebant tacitè significare vniuersam à Romano Pontifice pendere; sed Canonem ab Hispanis fuisse reiectum; vnde Legatos id consilij suscepisse, vt Lainius super eo articulo dissertationem haberet, quæ Romani Pontificis studiosis, & in eam sententiam imprudenter prolapsis, ansam præberet ad ipsam mutandam: hanc verò Lainij orationem fuisse digestam meditatione & consilio quatuor Iesuitarum ibi præsentium, qui erant, sicut ipse aliàs narrauit, præter Lainium, Salmeron & Torres, Theologi Pontificij, & Cauillonius Alberti Bauariæ Ducis Theologus. Purissimam profectò falsitatem, nullâ quippe veri guttulâ aspersam! Atque vt incipiam à postremo: non modò Iesuitæ tres dumtaxat fuere, & Torres minimè Regularis, quod pluribus in locis ostensum est; sed is acriter aduersabatur in eo Lainij sententiæ, sicuti Salmeronis opinioni de mansione repugnauerat, adeò vt inter Seripandi monumenta prolixus extet Torres commentarius aduersus eam dissertationem. Præterea Canon à Legatis per Sotum propositum Hispaniensibus, & accepta repulsa tantum causa non fuere, quâ impellerentur ipsi vt à Lainio peterent copiosam pro ea sententia orationem, quantum id quod sequitur, illius quod præcessit causa esse non potest. Etenim Lainius verba fecit, sicut ipse Suavis affirmat, die vigesimo Octobris, & Sotus Legatorum nomine Hispanos adiit die vigesimo octauo, quod liquet ex epistola Legatorum ad Borromæum, eo die signata. Tertio viri illi egregij, ex definitione partis expressæ nequaquam arguebant contrariam definitionem partis omissæ, quemadmodum hic & alibi Suavis arguit: nec Hispanienses Canoni sibi proposito id obiecerunt, sed ipsum recusarunt, quia indifferenti silentio non contenti, disertam quamdam declarationem flagitabant. Postremò consecutiones, quæ ab aliquo turbulento ingenio confici poterant ex ea definitione,

*Pars III.*

E c

nc,

Historiæ  
Concilij Tridentini  
Pars III.

1562. ne, quâ dicerentur Episcopi etiam in iurisdictione fuisse à Christo per seipsum constituti, tam serò detecta non sunt à Legatis, nimirum post duos Patrum cœtus, super eo argumento habitos; sed ab initio ipsis innotuerant: quin eadem Legatos permouerant ad eam particulam abradendam ex Canonibus iam paratis sub Legato Crescentio, qui idcirco perstrictus fuerat à Scripando in enumeratis eius litteris, ad Amulium ab ipso scriptis, antequam conuentus vllus haberetur à Patribus de illo articulo.

Mendacia redarguimus; calumnias confutemus. Illa in primis stulta videtur, quam Suauis apponit Episcopo Parisiensi, quò Lainium alienâ manu diuerberet, & in ipso cunctos Regularium Ordines, & Ecclesiam vniuersalem. Audet scribere, Parisiensem ex morbo domi detentum, cum Lainius sermonem illum habuit; sed re cognitâ in eum acriter inuectum fuisse: hîc verò eundem inducit in Societatem, in reliquos Ordines vniuersè, & etiam in Apostolicam Sedem ea promentem, quæ vix ab hugonottorum ministris dicta fuissent, quod certè nimis abhorrebat à doctrina ac pietate tanti Præsulis; nimirum primò, Lainij sententiam de auctoritate Pontificis supra Concilia, *præteritis seculis inauditam*, à Caietano *ad purpuram adipiscendam excogitatam fuisse*. Indignissima ac stultissima verba: quasi non duo sæcula ante Caietanum ea sententia tradita ac scripta fuisset à celebri Doctore Gallo<sup>e</sup>, Natali Heruzo, & elapso post sæculo ab alio non minùs inclyto Hispano, Ioanne Cardinali à Turrecremata<sup>d</sup>, & paulò post ab illustri Germano Gabriele Biel<sup>e</sup>, non connumeratis Alberto, Bonauenturâ, Durando, aliisque veteribus, quorum verba plurimùm illi fauent, & quasi post Caietanum eadem vsque ad id temporis destituta patronis iacuisset, nec illi præsertim Dominicus Sotus<sup>f</sup>, insignis Theologus Hispanus, & Carolo V. à Confessionibus, adhæsisset, vt silentio prætermittantur Iacobatius<sup>g</sup> Cardinalis, & alij Canonum Consulti. Et de Purpura Caietani, quasi celebris non esset sanctitas huiusmodi viri, ab ambitu alienissimi<sup>h</sup>; quasi Purpura ei collata non fuerit ab alio, & non ab eo Pontifice, pro quo ipse scripsit aduersus Pisanam Synodum schismaticam, idque post annos plurimos, & contra eiusdem expectationem, vt in comperto est ex illius ætatis scriptoribus. Quin eâ tempestate ac proximè superiori duo mirabilia exempla edidit Deus, vt ostenderet, quàm sincerè ab Ecclesia Romana distribuerentur præmia. Vnum extitit in Ænea Siluio, qui tamen in ea Christianæ Reipublicæ caligine Basileensi Concilio aduersus Eugenium adhæsisset; tamen ob egregias viri dotes exornatus Romæ fuit

<sup>e</sup> In Tractatu de Potestate Papa, circa medium.

<sup>d</sup> In lib. 2. Summæ de Ecclesia, cap. 54.

<sup>e</sup> In Canone Missæ, lect. 3. initio, & clarius post medium.

<sup>f</sup> In 4. distinct. 20. qu. 1. art. 2. concl. 4. in fine.

<sup>g</sup> Lib. de Concil. art. 7.

<sup>h</sup> Legatur Vita Caietani apud Ciacconum, in appendice in auctoribus ibi adductis.

fuit & Purpurâ à Callisto, & hoc demortuo, supremâ tiarâ à Cardinalibus<sup>1</sup>. Contigit alterum Caietano superstitite, & ex parte sub eodem Pontifice, à quo ipse Purpuram accepit, in Adriano Florentio; qui quamquam sustinisset in suis Commentariis aliquam in Conciliis prærogatiuam supra Pontificem, tamen à Leone in Collegium cooptatus est, & post eius mortem, ob commendationes, præsertim Caietani, electus Pontifex.

Secundo loco, quod spectat ad Ordines Regularium, Suavis numquam mihi suaferit, Episcopum Parisiensem voluisse ea opimenta in lucem reuocare, quorum causâ Guillelmus de sancto Amore, aliique eius asseclæ reiecti sunt vt hæretici à S. Thoma. Nos verò alibi demonstrauius, homines politicos vel maximè impios, qualis fuit Nicolaus Macchiauellus, fateri, ab his Ordinibus & Ecclesiam & Fidem sarta recta seruatas. Quin potius Gallia meritò gloriatur, multos præcipuos ex illorum Ordinibus, multosve ex ipsorum Fundatoribus à se traxisse siue natalem lucem, siue lac, siue educationem. Sed cùm clarus quidam Poëta<sup>k</sup> per allegoriam in nixam vero inclytam illam regionem quasi Berecinthiam quamdam Deorum matrem depingat, noster Historicus eam quasi quamdam Medæam audet describere, in suos amabiles filios alumnosque sæuientem.

1562.  
11458.  
  
k Carus in celebri Cant. Venite ali' ombra de gran Gigli d'oro.

C A P V T XVI.

*Altempfij Cardinalis discessus. Pontificis consilium de addendis Legatis; sed depositum. Nouæ tricæ in reficienda forma septimi Canonis, ad Episcoporum institutionem spectantis.*

**M**Ora, quam innecebat Synodo hæc noua semper & ferè impacata opinionum dissidia, Altempfium Cardinalem impulit, vt peteret impetraretque facultatem à Pontifice Tridento abeundi, ad Constantiensem Ecclesiam suam inuisendam, ac postea redeundi. Profectus igitur est exeunte Octobri<sup>a</sup>: & sicuti profectioes temporariæ sæpè in perpetuas mutantur, ita Legati postea munere solutus est, cùm experienciâ constitisset, neque patriam aut nobilitatem satis illi fuisse pro concepta iam spe ad complures Germanos ad Synodum pertrahendos, nec per ætatem adhuc illi licuisse prudentiâ doctrinâque maturefcere ad prægrandia illa molimina. Ex altera parte induxerat in animum Pontifex addere Concilio nouos Legatos, duos ex illis, quos apud se designarat

a Litteræ Borrom. ad Legatos, 12 Octobr. 1562.